

rium, regredi desiderat. Neque tum pœnitentiam etiam se-
ram clementissima Sancti Spiritus benignitas aspernatur.
Humanissime potius invitat, imo divinitus sufflammat to-
ties repetita seria ac suavissima שׁוּבִי allectione *Cant. VI. 12.*
שׁוּבִי שׁוּבִי הַשּׁוּלְמִית שׁוּבִי שׁוּבִי וְנַחֲזֶה-בְךָ *Revertere, Rever-*
tere Sulamitib! Revertere, Revertere, intuebimur Te; gratio-
so scilicet misericordis clementiæ oculo. Nam cum in cru-
ce penderet JESUS, lugubrem nostri causa subiens mortem
latroni peccata sua lamentanti consortium cœlestis regni
statim pollicebatur; protinus ac lubentissime Sanctus Spi-
ritus ad resipiscentem revertitur, referens pacem cum pla-
cato DEO, testimoniumque perhibens nostro Spiritui, quod
regeniti ac justificati simus DEI filii.

§. 15. Non pauci venerandorum patrum firmiter istam
tueri videntur rationem, quod Spiritus Sanctus dum colum-
bino se exhibuerit Schemate, antiquæ memores esse volue-
rit spectatores historiæ Noachi; Nec adeo incongrue: Sa-
ne omnis (ut dicitur) rudens erat ruptus, omnis spei ancho-
ra prorsus evulsa, universon enim orbem commune merse-
rat naufragium: ecce pacificum istud ac mansuetum apparet
animal, COLUMBA, finem illius tetricæ tempestatis subin-
nuitura, ore ramum portat Olivæ, pacis universitati restitu-
endæ signum. Dispulsas cœlo nubes, redditum Solem, com-
munemque adeo orbis tranquillitatem nunciabat: Hic penes
Jordanem Sacer Spiritus placarum refert DEUM: Ferebat il-
la oleæ termitem; Et hæc præfens Sanctissima COLUMBA
suos secum fert fructus, pacis scilicet & gaudii *Gal. 5. 22.* summæ
bonitatis divinaeque misericordiae diu desideratum defert
oleum: Illa pacem: hæc pacem & dona maxima presso retulit
orbi. Illa optatum diluvii finem: Hæc exoptatissimum Mun-
di Restauratorem, qui est finis Legis, ostendit. Illa non alibi, nisi
in Arca quiescebat: Et hæc non nisi in Ecclesia. Quamvis
equi-